

mere, est hoc non ex scripto, sed ex traditione ad posterum transferit, prout de miscenda aqua in Calice, quod ab iisdem Apostolis emanavit. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thome disput. 45. scilicet 2. dub. 2.

27 Inficiandum tamen non est, plurimos Auctores gravissimos opinari, quod in primis Ecclesie seculis Vota Religiosorum essent simplicia, non solemnia; ideoque si Matrimonium contraherent de facto, illicitè quidem, sed non invalidè agebant, ut conatur probare Basilius Pontius *Q. O. Scholasticar. part. 1. quest. 3.* nec non de *Matrim. lib. 7. cap. 22.* cui adheret Paulus Sherlog. in *Cantic. tom. 3. Vespig. 28. num. 33.* Ceterum responderi potest, quod in primitiva Ecclesia duo erant Ordines Monachorum, & Monacharum; nam eorum alii, voventes Castitatis, Paupertatis, & Obediencie Vota, transibant in Monasteria; alii vero solum Votum Castitatis emittabant, & in propriis domibus apud parentes suos habitabant, ut eruditè scribit Morinus de *Sacramento Penitentiae lib. 6. capit. 13. num. 12.* & 13. ubi de differentibus Penitentis, quibus tunc eorumdem Votum transgressio, ac violatio castitatis pledebatur. Igitur Vota eorum, qui in domibus parentum Laicorum morabantur, erant simplicia, Matrimonium tantummodo impediencia: at illorum, qui ad Monasteria transibant, & se, suaque corpora Religioni tradebant, erant solemnia, non solum impediencia, sed etiam dirimentia Matrimonium, de quibus intelligendi sunt Canones, ac Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum, supra allegata. Clericis Sacros Ordines suscipientibus interdictum fuisse Matrimonium contrahere per Apostolorum Canones, ac Decreta Pontificum, & Conciliorum in primo, secundo, ac tertio Ecclesie seculo, late probavimus in Decisionibus nostris *De Sacram. Ordinis Decif. XXVII. an. 23.* & sequa. ad quam Lectorem remittimus; & videri potest Emmanuel Gonzalez *Comment. in capit. 2. de Cleric. Conjug. num. 1. tom. 3.* ubi infinitos Canones de hac re allegat.

28 Quo ad Ultimum, in quo queritur, An Summus Pontifex possit in Votis solemnibus Castitatis dispensare, ad effectum ut tam ordinati in Sacris, quam Religiosi possint contrahere Matrimonium; pugnant inter se Thomistae, atque Scotistae. Illi tenent negativam, freti eo principio, quod Votum solemnè Castitatis dirimat Matrimonium postea contractum non ex solo Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali Divino, in quo Papa dispensare non potest, ut late nituntur probare Salmanticenses tom. 8. de *Statu Religioso tract. 20. disp. 1. dub. 7.* ubi n. 9. allegant Theologos 25. hanc opinionem sequentes; & num. 109. negant omnia exempla, ab Historicis relata, dispensationum à diversis Pontificibus concessarum, ad effectum ut adstricti Voto solemnè Castitatis possent ex iusta, ac gravi causa licitè, & validè Matrimonium inire; quae quidem exempla adducta fuerunt à nobis supra *Decif. XV. num. 17. 18.* & 19. ubi affirmativam opinionem amplexi sumus, & Doctores eandem tuentes allegavimus. Eandem & nunc amplectimur tamquam communio-rem, & veriorè, quam etiam defendunt plurimi Canonistae, quos congerit, & sequitur Sanchez de *Matrim. lib. 8. disp. 3. num. 7.* nec non innumeri, ac gravissimi Theologi recentis ab iisdem Salmanticensibus d. dub. 7. num. 109. inter quos Suarez tom. 3. de *Relig. lib. 6. cap. 16. num. 5.* Basilius Pontius de *Matrim. lib. 7. cap. 10. num. 2.* & alii plurimi citati per Dianam part. 8. tract. 1. resol. 73. reportata in eius Opere Coordinato, & reposta in tom. 3. r. 1. resol. 78. ubi §. 4. stat & ipse pro affirmativa, sic scribens pro eius corroborazione. „ Probatur hæc sententia tum ex facto Pontificum, quos sæpius in hoc casu feliciter dispensasse legimus, & quidem

fide indubitata, ut fusiè prosequitur Azorius, & Platus. Tum quia quo ad valorem dispensationis Ecclesiasticæ, eadem est ratio Voti simplicis, & solemnis; neque hoc ex natura sua habet majorem obligationem, quam illud. Tum quia fecundum S. Thomam, & alios, potest dispensari in Voto Castitatis per Ordinis susceptionem; quod non minus solemnè est, quam Religiosæ Professionis; etsi hoc discrimen sit, quod hoc tolli non possit nisi ipso etiam statu (Religionis) à persona sublato, quod non est necesse in priori casu. Tum denique quia nihil obstat ejus Voti dispensationi. Non traditio, quia etiam simplex Votum aliquando traditionem continet. Accedit, quod etiam res in Regis dominium redactas potest Prorex, si major utilitas, & honor Regis id exposcat, alienare. Non Voti solemnitas, quia hæc solo Jure Ecclesiastico introducta est. Non ipsa Religionis natura, quia licet de hujus essentia sit Castitas; tamen non est de essentia ejus, qui semel Religiosus est factus, ut maneat Religiosus, ut dicitur. Nec demùm Consecratio; non solum quia Benedictio ipsa propriè non constituit Religiosum; sed etiam quia hæc ipsa potest à re integra separari, ut mox dicitur. Hucufque Diana; qui §. 5. prosequitur narrare Exempla Apostolicarum Dispensationum in Votis solemnibus Castitatis relata ab Historicis antiquis, & modernis; quibus tamquam fide dignis est credendum per text. in l. 1. ff. de *Offic. Praesid. Praetor.* & docent Baldus in l. Ea quidem col. 4. & in *fn. C. de Judic. Mascardus de Probat. conclus. 287. num. 1.* Rota coram Merlino *decif. 807. num. 4.* & coram Coccino *decif. 1867. num. 19.* Eadem Rota part. 19. *recens. decif. 196.* num. 4. Dianæ doctrinam amplexi sunt ex Canonistis Rebuffus in *praxi benefic. ad Reg. de Dispensat. in gradib. prohib. Gloss. 5. num. 10.* Grassus de *Effic. Cleric. eff. 1. num. 114.* Gratian. *Discept. Forens. capit. 457.* Cardin. Parisius *vol. 4. cons. 68. num. 148.* Garzias de *benefic. p. 7. cap. 10. num. 43.* & 45. Menochius de *Arbitrar. casu 421. num. 10.* Cardin. Tufchus *Litt. D. Conclus. 458. num. 19.* & alii plurimi congesti à Juto d. *libr. 2. de Dispensationib. cap. 13. num. 16.* ubi in specie ait, Papam posse dispensare cum Equilibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, ut Matrimonium contrahere valeant; & num. 17. refert Exempla consilium Dispensationum; prout facit etiam Barbosa de *Offic. Episc. Episc. alleg. 15. num. 22.*

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

Declarat præfens Decisio impedimentum dirimens Cognationis Naturalis, tradita ejus definitione, ac explicatione Stipitis, Lineæ, & Graduum, cum tribus regulis pro eorum computatione. Docet usque ad quem gradum Cognatio Naturalis dirimat Matrimonium de Jure Canonico? An de Jure naturæ prohibitum sit Matrimonium in primo gradu, ram in linea recta, quam in linea laterali? In quibus gradibus utriusque Lineæ possit Papa dispensare? Ponuntur Exempla, & Historiæ circa dictas Quæstiones. Pœnæ, & punitiones Copulæ incestuosæ.

SUMMARIUM.

- 1 Cognatio Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis.
- 2 Naturalis cognatio cur sic vocetur?
- 3 Cognatio

- 3 Cognationis Naturalis, seu carnalis, definitio, ac declaratio.
- 4 Stipes quid sit?
- 5 Angeli an sint Dei consanguinei?
- 6 Linea quid sit? Quotplex?
- 7 Gradus quid sit?
- 8 Graduum computatio de Jure Civili differt à Jure Canonico.
- 9 Illegitimi Filii de Jure Canonico faciunt gradum.
- 10 Gradus quomodo computentur de Jure Canonico? Regula tres.
- 11 Gradus tum remotior, tum propinquior exponendus in dispensatione.
- 12 Cognatio carnalis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium in linea recta?
- 13 Et usque ad quem gradum in linea obliqua?
- 14 Innocentius III. Anno 1215. restrinxit impedimentum Consanguinitatis ad quartum gradum.
- 15 Impedimenti Consanguinitatis, & Affinitatis rationes multæ.
- 16 Mulierum levitas, & fragilitas.
- 17 Cognatio carnalis an de Jure naturali dirimat Matrimonium? Opiniones tres.
- 18 Matrimonia in primo gradu Consanguinitatis apud quos?
- 19 Matrimonium prohibitum in linea recta in infinitum. Rationes sex.
- 20 Pontifices nunquam dispensantur in linea recta.
- 21 Mater an possit nubere filio? Vel Filia Patri de Jure naturæ?
- 22 Animalia abhorrent carnalem copulam cum suis genitoribus.
- 23 Matrimonium licitum de Jure naturæ in linea recta, primo gradu excepto.
- 24 Cap. Non Debet. De Consanguin. & Affin. loquitur de linea recta & obliqua.
- 25 Lex naturalis scripta est in corde hominum.
- 26 Homines sepè operantur contra Legem naturæ.
- 27 Filie Loth an peccaverint, coeunt cum Patre suo?
- 28 Collaterales cognati an de Jure naturæ prohibeantur copulari?
- 29 Sara Uxor Abrahami an fuerit ejus Soror? & num. 33.
- 30 Othavia nubit Neroni Imper. fratri suo.
- 31 Frater, & Soror Jure naturæ prohibentur simul nuptias inire.
- 32 Abraham cur rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse Sororem ejus?
- 33 Sara erat Nepis Abrahami, filia Aran fratris ejusdem.
- 34 Hebræorum mos, ut Nepotes dicerentur Filii Avi, & inter se fratres.
- 35 Papa an possit dispensare inter Collaterales etiam in primo gradu?
- 36 Urbani VIII. dispensatio Matrimonialis pro Patre, & Nepote.
- 37 Matrimonium Cardin. Mauriti de Sabaudia cum ejus Nepote ex fratre.
- 38 Ludovicæ Mariæ Principissæ de Sabaudia dictum argutum.
- 39 Papa in omnibus gradibus lineæ lateralis dispensare potest, primo excepto.
- 40 Excommunicatio contra incestuosos Conjuges. Et alia pœna eorum.
- 41 Heraclii Imperatoris punitio Divina pro ejus Matrimonio cum Nepote.
- 42 Roberti Galliarum Regis incestuosæ Nuptiæ à Deo punitæ.

sequentibus. Et equidem circa Cognationem Naturalem sex sunt examinanda, & videnda.

- 1 Quid sit cognatio Naturalis?
- 2 Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium de Jure Canonico?
- 3 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter ascendentes, ac descendentes in linea recta?
- 4 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter Collaterales in linea transversali?
- 5 An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter Collaterales Consanguineos?
- 6 Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur Consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes?

Quo ad Primum. Cognatio Naturalis ita nominatur, quasi eadem natio, quia per eam plures ab uno stipite nascuntur, & dicuntur cognati, tamquam ab eodem nati: vocatur quoque Consanguinitas, quasi Sanguinis Unitas; prout descendentes ab eodem stipite nuncupantur Consanguinei, idest ab uno Sanguine procedentes, ut docet S. Thomas in 4. dist. 40. q. Unica. art. 1. & in *Addit. 3. p. 9. q. 54. art. 1.* ubi talem tradit carnalis cognationis definitionem. Cognatio carnalis, seu Consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite descendente, carnali propagatione contractum; cui moderni addunt, ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum. Ex declaratione singulorum Verborum hujus definitionis Studiosus Lector totam doctrinam Cognationis carnalis, naturalis, seu consanguinitatis percipiet. Dicitur itaque quod ea est Vinculum, non formale, sed metaphoricum, quatenus consanguinei, cum ab eodem Sanguine oriuntur, majori familiaritatis, & amoris nexu connectuntur.

Dicitur Personarum, idest creaturarum rationalium, ad differentiam brutorum; siquidem consanguinitas consideratur in hominibus tantum, quia hi capaces sunt veri amoris, & amicitiae; non autem in brutis, quæ moventur ad copulam carnalem libidinis æstu, & non amore amicitiae, ut docet Aristoteles 5. *Ethicor. cap. 11.* Dicitur, ab eodem stipite descendente, Nam stipes idest illa persona, à qua descendunt alii, de quarum cognatione tractatur; & quæ dat principium lineæ eorumdem descendente; idcirco intelligendum est de stipite proximo, non de remoto; aliàs omnes homines essent consanguinei, cum omnes descendant vel ab Adamo, vel à Noe remotissimis stipitibus. Proximus autem stipes attenditur, à quo consanguinitas oritur, & ex cujus origine amor, similitudo, & familiaritas inter consanguineos conservatur. Dicitur carnali propagatione contractum; tum ad differentiam Cognationis Spiritualis, quæ in Patris in susceptionem in Baptismo, ac Confirmatione contrahitur; nec non Legalis, quæ per adoptionem extraneorum in filios gignitur; tum ad differentiam Angelorum, inter quos, & Deum non datur consanguinitas; quia licet ab illo fuerint producti, factum fuit per creationem, non per propagationem carnalem; ut notant Justus de *Dispensationib. Matrimonialib. libr. 2. cap. 3. num. 5.* & Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. c. 12. num. 6.* ubi subdunt, quod neque Eva fuit formata per carnalem propagationem Adæ, & quod inter eos non fuit vera consanguinitas; sed utique inter Redemptorem nostrum JESUM CHRISTUM, & Beatissimam Virginem ejus Matrem, quia ex ejus purissimo Sanguine fuit conceptus per virtutem Spiritus Sancti, & quemadmodum ex aliis matribus, fuit carnali propagatione productus, purissima Virginitate illæ servata, & cæteris omnibus concurrentibus, quæ ad naturalem procreationem exiguntur.

Dein additur in definitione ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendente.

sec. 2. numer. 3. & alii citati per Salmanticenses d. cap. 12. de Matrim. num. 24. quibus addendi. quos allegat Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa d. diſp. 25. art. 4. num. 48. nempe Durandus in 4. cad. diſp. 40. queſt. 1. num. 9. Richardus ibid. art. 1. queſt. 3. Divinus Antonius 3. part. tit. 1. cap. 14. §. 2. Vafquez 2. 2. diſp. 12. n. 7. & alii multi, quos cumulat Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 51. num. 12. ubi reſert eorum ſententia fundamenta. Primum eſt, quia Natura reſpicit Matrimonium inter parentes, & liberos ratione reverentiæ illis ab his debite; major autem reverentia debetur parentibus remotioribus, quibus imò tanto magis obſequi juniores deſcendentes debent. Sed hæc reverentia deſtruitur per Matrimoniale ſocietate. Ergo inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta Jus naturale non admittit Matrimonium. Secundum, quia eſt inter remotiores aſcendentes, & deſcendentes ſit minor indecentia, quo ad Sanguinem, tamen eſt major indecentia, quo ad ætatem; ſiquidem ſi Avus vellet ducere mulierem à ſe recta linea deſcendentem extra quartum gradum, opus eſſet, ut ipſe haberet annos ſextem octoginta. Sponſa verò annos duodecim, ut quilibet numerando generationes quinque calculare poſſet. Ideò, ob magnam indecentiam inæqualitatis ætatis, Jus naturæ non admittit conjugium inter aſcendentes, ac deſcendentes in recta linea. Tertium fundamentum eſt, quia omnes ſuperiores ætate, ratione principii habent qualitatem Patrum; & deſcendentes ab eis illam filiorum; Ideò Chriſtus tur Filius David, & Filius Abraham. Ergo quavis inferioris ſunt in gradu valde remoto, cum reſpiciantur Filii aſcendentium, non poſſet de Jure naturæ inter hos, & illos stare Matrimonium. Quartum: Quia Leges Civiles prohibent quodcumque conjugium inter eodem tamquam repugnans Juri naturali. Ergo non omnes. Anſ. de Nuptiis l. Nuptie. §. 3. l. Nihil. §. 4. ff. de Ritu Nupt. Quintum: Quia Jus Canonicum in cap. Non debet. De Conſanguinit. & Affinit. correxit Jus Civile, & illud reſtrinxit ad quartum gradum pro Matrimonii inter cognatos in linea tranſverſali; ac inter illos lineæ rectæ nihil diſpoſuit. Ergo reliquit Jus Civile in ſuo robore; & ſic venit obſervandum. cap. 1. De Novi operis nunciat. DD. apud eundem Sanchezium lib. 1. de Matrim. diſp. 6. num. 24. Sextum: quia, ut dictum eſt ſupra num. 12. certe nullibi reperitur, quòd Summi Pontifices in curſu tot ſæculorum, unquam diſpenſaverint ſuper Matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta; unde ſequitur, quòd in Eccleſia Catholica per annos mille, & ſeptingentos nullus aſcendens duxit in uxorem aliquam mulierem à ſe recta linea deſcendentem; neque ulla mulier aliquem Virum à ſe linea recta progenitum. Ideo ita tenent viginti octo Canonice; ac ſex & videnti Theologi, quos nominat, & citat ipſe Sanchez d. lib. 7. diſp. 51. numer. 12. quibus adſunt etiam Matritius d. diſp. 7. de Matrim. numer. 457. & Eminentiſſ. Card. de Lauræa d. diſp. 25. num. 55. ubi ſubdit, quemlibet experiri in ſe naturalem quendam hororem circa copulam canalem cum ſuis aſcendentibus, vel deſcendentibus recta linea, ut neque de ea audent cogitare.

Tertia opinio, & quidem communior eſt, quòd Jus naturæ inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta Matrimonium ſit irritum in primo gradu tantum, itaut non poſſit fieri inter Patrem, & Filium; nec inter Filium, & Matrem: in cæteris verò gradibus ex prædicto Jure non ſit irritum. Probat prima pars, quòd in primo gradu fieri non poſſit. Primò, quia in Inſtitutione Matrimonii dixit Deus, Gen. 2. 24. Relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori ſue, & erunt duo in carne una. Igitur Jure naturæ Pater, & Mater relinquendi ſunt,

quando facienda eſt Uxoriam conjunctio. Ita S. Bonaventura in 4. diſp. 40. queſt. 3. num. 25. Nec quilibet dicat per illa verba eſſe hanc irritationem de Jure Divino: quia, ut ait Emin. Cardin. de Lauræa d. diſp. 25. num. 51. non fuerunt prolata à Deo, ſed ab Adamo, Divino aſſante Spiritu in corde ejus interno; & hæc dicitur Lex naturalis iuxta illud Pſal. 47. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Secundò probatur Auctoritate S. Ambroſii, qui Epif. 66. ad Paternum ſcripſit, Matrimonium Parentis cum filia repugnat Legi naturæ ſcriptæ in cordibus hominum, adeò horribile, & turpis eſt conſueſſus iſte. Tertio probatur, quia nimis præjudicaretur reverentia naturaliter debite genitoribus, ſi inter ipſos, ac eorum genitos carnalis copula exerceretur; hinc præceperat Deus in Levit. 18. 7. Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tue non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus, quo loco commentatur Cornelius à Lapide: Velatur hic Matrimonium, & copula cum Patre, & Matre, & idem notat ibidem Tirinus. Probat Quartò, nam quòd eſt commune omni Nationi abſque Legge poſitiva ab eis condita, dicitur eſſe de Jure naturæ. cap. Jus naturalis. diſp. 1. Sed talis horror circa conjunctionem Parentum cum filiis eſt communis omni Nationi; nulla enim habet hoc in uſu, (exceptis quibusdam efferatis gentibus, vel impiis hominibus, de quibus mox dicemus) nam etiam Gentiles in hoc primo gradu, in linea recta, abſtinebant, & abſtinentum eſſe à conjugio ſciebant; unde illud Paradis laudantis Helenam apud Ovidium:

O Jove ſigna Viro, ni Jove nata foret, non tuus, non Ariſtoles lib. 1. Hiſtor. Animal. cap. 47. Camelo nec vi adigi poſſe, ut Matribus congrederentur; cumque fraude Camelarii pullus quidam contactam Matrem, ne poſſet agnaſci, inſcendit, & poſtea detracto tegumento eam cognoviſſet, morſu interſecit Auctorem. Ibidem narrat Equum quemdam generoſiſſimum Regis Seytharum, qui cum Matre congrederi noſſet, ſimili artificio deceptum, poſtea re detecta fugiſſe, & ex alto fe præcipitavit. Gaſſielmus quoque Pariſienſis part. 1. de Univ. part. 3. cap. 8. reſert, de alio Equo fraudulentem in Matrem admiſiſſo, quòd poſtea ſibi genitalia mordiculis præciderit, natura ipſa teſtante, quàm grave ſit piculum iſtud. Plura alia exempla his ſimilia congerit Tirinellus de Legge Connub. leg. 7. num. 47. Plinius lib. 8. cap. 42. Varro Rei Ruſtic. lib. 2. cap. 14. Leſſius de Juſſ. Jur. lib. 4. cap. 3. num. 78. Emin. Card. Pariſius conſil. 68. num. 353. vol. 4. Emin. Card. de Lauræa d. diſp. 25. num. 54. quibus addendum eſt, quòd legitur apud Romanos nefas fuiſſe, Filium cum Patre balneum ingredi, ne fe invicem nudos conſpicerent.

Secunda verò hujus Tertie opinionis pars, quòd de Jure naturæ in aliis gradibus (primo excepto) inter Lineæ Rectæ Aſcendentes, & Deſcendentes Matrimonium non ſit prohibitum probatur. 1. Quia in cap. Gauſemus, de Divortio Innocentius III. docet, infideles ad fidem converſos non eſſe ſeparandos à conjugibus, ſi in ſecundo, ac tertio gradu contraxerunt, tempore ſcilicet infidelitatis; quia tunc niſi à primo gradu tenebantur abſtinere. At poſt conversionem non poſſunt contrahere niſi extra quartum gradum, ut notat Matritius in 4. ſent. diſp. 7. num. 465. 2. Quia idem Pontifex in cit. cap. Non debet. De Conſanguinit. & Affinit. docet, impedimentum conſanguinitatis reſtrictum ad quartum gradum. Ergo id eſt intelligendum non ſolum de Jure Canonum, ſed etiam de Jure naturæ; & per conſequens in cæteris remotioribus gradibus Matrimonium eſt licitum etiam inter Aſcendentes, & Deſcendentes Lineæ Rectæ. Nec dicat quis, d. cap. Non debet loqui

loqui tantum de Linea tranſverſali; quia cum nullus alius ſit Canon diſponens de gradibus Lineæ Rectæ, ſequeretur, in eadem linea non eſſe prohibitum de Jure Eccleſiaſtico contrahere Matrimonium in ſecundo, tertio, & quarto gradu; quòd abſurdum eſſet aſſerere, ut bene advertunt Salmanticenses d. cap. 12. de Matrim. num. 16. Probat 3. Quia Avus, & alii Aſcendentes reſpectu deſcendentium Neptum, & inferiorum, ſunt principium accidentale tantum eorumdem; verum enim principium ipſorum eſt ſolus Pater; ideò ſi fieret inter eos Matrimonium, non eſſet talis irreverentia, quæ Jus naturale offenderet. Probat 4. Quia quò magis aliquis diſtat à ſuo principio, minor eſt conjunctio cum illo, & ideò minorem debet ei reverentiam, & ſic minor eſſet indecentia, ſi Matrimonium inter eos iniretur. Quare hanc Tertiam opinionem amplectuntur S. Thomas 2. 2. queſt. 154. art. 9. nec non in 4. diſp. 40. queſt. Univ. art. 3. prout etiam in addit. ad 3. part. queſt. 54. art. 3. Averſa de Matrim. qu. 16. ſect. 1. Verſ. Ex alia parte. Caſtopalaus diſp. 4. punct. 7. num. 9. Candidus diſp. 28. art. 6. dub. 4. §. 5. Sanchez de Matrim. d. lib. 7. diſp. 51. num. 19. & 20. ubi alios DD. cumulat. Baſilius Pontius lib. 7. cap. 31. num. 4. Bonacia queſt. 3. punct. 5. §. 1. num. 8. Salmanticenses d. cap. 12. n. 15. & ibi alii, inter quos Peréz, Diana, & Sylvius; quibus addendi ſunt Gobatus traſt. 9. numer. 168. Layman lib. 5. traſt. 10. part. 4. cap. 6. n. 1. & Juſtus d. lib. 2. cap. 3. n. 59.

Reſtat ut reſpondeamus argumentis primæ opinionis aſſerentis etiam in primo gradu Lineæ Rectæ poſſe ſubſiſtere Matrimonium de Jure naturæ inter Aſcendentes, & Deſcendentes. Igitur ad Primum negatur, non reperiri legem prohibentem in dicto primo gradu; ſiquidem Lex naturalis prohibens, & reſpens talia Matrimonia, ſcripta eſt in cordibus hominum, quia abhorrent hæc conjugia; & de hæc lege ait Apollolus ad Rom. 1. & 2. Ejuſmodi enim legem non bobentes, ipſi ſibi ſua lex, quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Item extat Lex Levitica cap. 18. de qua ſupra, (ſive judicialis ſit, ſive moralis) nec non Lex Canonica in c. Gauſemus. De Divortio; & in cap. Non debet. De Conſanguinit. & Affinit. atque Lex Civilis in l. Nuptie §. 3. l. Nihil. §. 4. ff. de Ritu Nupt. ſupra reſcenſæ, quæ innuntur Legi naturæ. Ad ſecundum reſpondetur, æqualitatem Filii cum parentibus in contrahendo, ejuſve ſuperioritatem in dignitatibus non concludere; quia in his non adeſt turpitud, neque læditur reverentia ipſis parentibus de Jure naturali debita. Reſpondetur ad Tertium, exempla illa inceſtuoſa in primo gradu Lineæ rectæ nihil concludere, tamquam irrationabilia, & contra Jus naturæ ex libidinis furore attentata, quæ reprehenduntur vehementer à Tertulliano in Apologet. cap. 9. Conſtat enim, quòd multa ſunt ab hominibus contra Jus naturæ ex aliqua paſſione, vel excitate mentis, ut mendacia, homicidia, idololatriæ, & alia turpia. Ad Quartum reſpondetur, filias Lot excuſari per S. Ambroſium à peccato tum ob ignorantiam invincibilem, tum quia cum Civitates Sodomorum comburerentur, ipſæ putarunt, nullum alium hominem remanere in mundo præter Lot eorum patrem, quem propterea inebriaverunt, & cum eo inſcio carnaliter ſe conjuxerunt, ne totum genus humanum periret. At ſubdit ibid. Cornelius à Lapide Verſ. 31. Contrarium docet S. Auguſtinus, & communiter Theologi. Primò, quia error dicarum filiarum, & ignorantia erat vincibilis. Secundò, quia concubitus filie cum Patre eſt contra omnem naturæ pudorem; unde nullo caſu, aut neceſſitate licitus eſt, niſi Deus diſpenſet, eumque concedat. Remanet itaque inconcuſſa opinio hæc communis, quòd Matrimonium ſit irritum Jure naturæ inter Patrem, & Filiam; atque inter Filium, & Matrem.

Quò ad Quartum, In quo quaeritur, uſque ad quem gradum Cognatio carnalis, ſeu Conſanguinitatis impediatur, & dirimat Matrimonium de Jure naturæ inter Cognatos, & Conſanguineos lineæ obliquæ, ſeu tranſverſalis? Duxit ſunt opinionēs, ac ſententia. Prima tenet, quòd in nullo gradu Jus naturale impediatur, aut dirimat Matrimonium inter prædictos. Primò, quia in principio mundi filii, & filiae Adami, & reſpective fratres, & ſores adinvicem connubia ſimul inierunt. Nec eſt dicendum, Deum tunc diſpenſaſſe ab initio naturæ diſpenſaſſe contra Jus naturale, ſi per hoc Matrimonium eſſet irritum inter fratres, & ſores. Secundò, quia Abraham Vir Sanctiſſimus duxit in Uxorem Saram ſorem ſuam, ut ſaſſus eſt ipſemet Abimelecho Regi Geraræ, ut habetur Genef. 20. 12. ibi: Verò ſoror mea eſt, filia Patris mei, & non filia Matris meæ, & duxi eam in Uxorem. Tertio, quia Thamar filia David, cum eam Amnon frater ejus cogeret ad carnaliter concubendum cum ipſo, dixit 2. Reg. 13. 12. Noli Frater opprimere me, noli facere Inſtitutionem hanc, quin potius loquere ad Regem, & non accuſabis me tibi. Ergo ſciebat, Regem poſſiſſe eam dare illi in Uxorem. Ergo tale connubium non erat contra Jus naturale. Quarto, quia apud plurimas Nationes fuit in uſu, ut ſores nuberent fratribus ſuis, ut ex antiquis Hiſtoricis notat Tirinus in Levitic. 18. 7. Quintò quia Octavia Romana nupſit Neroni Imperatori fratri ſuo, teſte Tacito lib. 15. & eodem Tirino in Chronico cap. ult. ad Annum 8. Neronis. Sextò, quia frater, & ſoror non ſunt directè una caro, ſicut Pater, ac filius, nec inter ipſos repugnat æqualitas, nec eſt turba reverentia debita, nec tale conjugium repugnat fini Matrimonii. Ex quibus rationibus, & exemplis hanc opinionem amplectuntur S. Thom. in 4. diſp. 40. d. q. univ. art. 3. & in addit. ad 3. p. q. 54. art. 3. prout etiam in 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. & ibi Cajetanus, ac in cap. 18. Levit. Caſtopalaus diſp. 4. punct. 7. numer. 11. Baſilius Pontius d. lib. 7. cap. 32. n. 3. Averſa queſt. 16. ſect. 1. verſ. Suaſetur; & alii plurimi, quos ibidem citant, quibus adhærent Salmanticenses diſp. 16. traſt. 9. de Matrim. cap. 12. num. 20. & quòd mirum imhi cauſavit, ipſe Matritius in 4. ſent. d. diſp. 7. n. 460.

Secunda opinio tenet, quòd etiam in linea laterali Jus naturale impedit, & dirimat Matrimonium in primo gradu, adeò ut ſit irritum, nullum, & invalidum ſi contrahatur inter fratrem, & ſorem. Fundamenta hujus opinionis ſunt, Primò diſp. cap. Gauſemus, de Divortio. in quo Innocentius III. ait, conjuges infideles ad fidem converſos non eſſe ſeparandos, ſi conjuncti ſint in ſecundo, vel tertio gradu. Ergo ſi in primo, ſeparari debent, ob nullitatem conjugii provenientem in eis ex Jure naturali, cui tunc erant adſtricti. Secundò, quia Papa in ſæculis 17. numquam diſpenſavit in hoc primo gradu inter fratrem, & ſorem; quia talia Matrimonia, & illorum copulam plures ſentes ſolo lumine naturæ deteſtata ſunt, ut reſert Ariſtoles 2. Politicor. cap. 2. Quartò, quia ideò Abraham in Ægypto apud Pharaonem, & Geraræ apud Abimelech Regem rogavit Saram Uxorem ſuam, ut diceret eſſe ejus Sororem, ne ipſe occideretur, ideò, inquam, quia cum illi Barbari Reges audirent, Saram eſſe ſorem Abrahami, certo crederent, non poſſiſſe eſſe ejus Uxorem; quia de Jure naturæ frater, & ſoror repellebantur à Matrimonio. Quintò, quia acus conjugalibus ob turpitudinem, quam ſecum aſſert, adverſatur pudori, & reverentiæ, quæ debetur ita ſanguine conjunctis. Sextò, quia natura vetando, & reſpundo conjugia inter fratres, & ſores voluit conſulere harum pudicitia, quæ nimis periclitaretur ob intimam converſationem cum fratribus

tribus suis, si hi sperarent, posse forores in Uxores habere. Quare hanc opinionem tutantur, & defendunt Abulentiis Levit. 28. quæst. 8. Sotus in 4. dist. 40. quæst. Unic. art. 2. Henriquez libr. 12. cap. 9. num. 4. Emin. Cardin. Toletus in Summ. lib. 7. c. 1. num. 2. Covaruvias in 4. Decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. n. 5. Sanchez de Matrim. d. libr. 7. disp. 52. num. 11. ubi innumeris numerat, quibus novissimè adherent Justus de Dispenfat. Matrimonial. dist. libr. 3. cap. 3. num. 67. & ibi Bonacina, Layman, Trullench, Filiucius, & alii. ac Eminen. Card. de Laurea d. disp. 25. à num. 58. ubi vocat hanc opinionem probabilissimam. Hac igitur retenta

Non obstant argumenta pro contraria opinione adducta. Non primum: Quia in principio mundi necessitas fecit, ut filii, & filiae Adam copularentur 33 invicem, sic Deo disponente, tamquam faciliori methodo; at post discessit S. Augustinus libr. 15. de Civit. Dei cap. 16. relatus in cap. 11. §. 9. r. cuius verba tamquam forte asyllum huius doctrinæ commendat Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 25. num. 59. Non secundum; quia non est verum, quod Sara fuerit foror Abrahami, ei in primo gradu conjuncta; siquidem Sara fuit ejus neptis, tamquam filia Aran Fratris ejusdem Abrahami, qui propterea verè, & propriè erat ejus Patrus, & sic Sara erat cum eo in secundo consanguinitatis gradu lineæ lateralis; ut bene demonstrat Lyranus in cap. 20. Genes. 3. & Cornelius à Lapide in eod. cap. 20. Vers. 12; ubi duo dicunt: Unum, quod Thare pater Abraham duas habuit Uxores, ex una natus est ei filius Aran, ex altera ortus est ei Abraham. Ex dicto Aran nata est Sara, & Loth. Alterum, quod mos fuit Hebræis, ut omnes nepotes respectu Avi dicerentur Filii, & respectu ipsorum vocarentur Fratres. Igitur Sara hac de causa vocabatur filia Thare Avi sui, & foror Abrahami Patris sui; sicut ipse Loth Frater Saræ, & Nepos Abrahami nuncupabatur Frater ejusdem Abrahami, ut in Genes. cap. 14. Legat Studiosus Lector verba Lyrani, & Cornelii à Lapide locis præcit. & dicit cum Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 25. num. 71. Ecce dissipatam omnem contrarii argumenti caliginem. Non obstat Tertium, quia ut respondet ibi. Eminentiss. Cardin. de Laurea num. 73. Thamar dixit illa verba, non quia effectus licitum id faceret cum Regis consensu, sed ut se liberaret de manu impudici Ammonis. Non Quartum ab Exemplo Nationum, apud quas forores nubebant Fratribus, quia aliæ plures id non permittebant. Non Quintum, quia infelicem finem obtinuit conjugium Octaviæ cum Fratre suo Nerone, à quo occisa fuit, ut restatur ipse Timinus, ac Tacitus præcitati. Non Sextum, quia nemo probus dicit, magnam non intervenire turpitudinem in copula carnali inter Fratrem, & Sororem, tam arcto sanguine conjunctos; adeo ut naturaliter horros insurgat ex sola mentis reflexione ad illam, ut fultus dixerunt DD. supra allegati, & præcipuè Sanchez d. lib. 7. disp. 52. num. 11.

Quo ad Quintum; in quo requiritur, An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter collaterales consanguineos: Respondetur, quod secundum Sæculares primè supra relatæ opinionis, Papa potest in omnibus gradibus dispensare, etiam in primo, itaut Frater possit ducere in Uxorem Sororem suam ex aliqua iusta causa; ut in puncto tenet Basilius Pontius d. lib. 7. cap. 32. num. 14. Imò Matheus d. dist. 4. §. 7. numer. 467. refert, ex testimonio Sylvestri in Summo Verbo. Papa 7. 17. Martinum V. dispensasse in dicto primo gradu ex gravissima causa; & idem asserunt Boerius conf. 20. numer. 26. & Eminentiss. Cardin. Parisius conf. 68. num. 138. vol. 4. At (secundum Defensores secundæ opinionis) Papa non potest dispensare in dicto primo gradu; quia id est

vetitum jure naturæ, in cæteris verò gradibus ulterioribus utique dispensare potest, ut omnes DD. scribunt in cit. cap. Gaudemus, De Divort. & Justus in dist. libr. 2. cap. 3. num. 70. ubi notabiliter dicit, hanc Pontificiam facultatem procedere etiam in combinatione primi, & secundi gradus lineæ inequalis; videlicet si ageretur de concedenda dispensatione, ut Patrus possit ducere in Uxorem neptem, idest filiam fratris sui.

Hujus dispensationis legitur Exemplum in Annalibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Marci Baptaglini Episcopi Nuceriæ de Sacerdotio, & Imperio ad Annum Christi 1642. num. 13. ubi narrat, Urbanum Papam VIII. dispensasse, ut Princeps, ac Cardinalis Mauritius de Sabaudia contrahere possit Matrimonium cum Principissa Ludovica Maria filia fratris ipsius, ac ejus Neptæ, ad sedandas bellicas discordias, in Regali illa Familia, post mortem Ducis Victorij Anno 1637. sequutam, gratantes. Audiat Studiosius narrationem dispensationis prædictæ, quam iidem Annales d. Anno 1642. num. 13. referunt his verbis: Anche nell' estremo parti dell' Italia essendoci le cure di Urbano VIII. ed avendo comoverso strettamente al Nunzio di Savoia di procurare la concordia fra quella Casa, et esser finalmente conclusa; convenendo la Ducessa (Vedova) Reggente con i Principi Maurizio Cardinal, e Tommaso suoi Cognati di lasciar loro una porzione del Dominio durante la minorità del Duc a pupillo, e che il Cardinal deposeda la Porpora si accoppiasse in Matrimonio con Lodovica Maria sorella del piccolo Duca, sua Nipote, cedendoli in governo la Città di Nizza con le dote pertinentenze; ed al Principe Tommaso quella d' Inverna; ed il Bielese con Titolo di Luogotenente del Duca; rimanesse poi alla Ducessa l' autorità di Reggente, con obbligo però di ammettere i Cognati nel Consiglio, ed alla partecipazione d' ogni negozio d' importanza.

Stretto a questo modo l' accordo, il Cardinal Maurizio deposed il Cardinalato, e con la debita Dispensatione Pontificia si sposò alla Nipote; la quale, se bene tenera d'anni, vivacissima di spirito, nello stesso giorno, che doveva sposarsi al Zio, tanto disgiunse di età, disse allo stesso Nunzio Apostolico, che se era in ordine l' Altare nella Capella per la funzione dello Sposalizio, la Vittima era pronta da sacrificarsi al ben pubblico della concordia, considerandosi ella tale &c.

Igitur si duo collaterales reperiantur unus in primo gradu, & alter in secundo, Papa ex iusta causa potest dispensare, ut hi simul contrahant Matrimonium; & hujusmodi dispensationem fuisse illam Martini V. asserunt à Summa Sylvestrina, ut dictum est supra num. 35. est intelligendum, si tamen vera fuit in factu. Cumque Pontifex possit dispensationem concedere super primo, & secundo gradibus simul combinatis, multò magis eam clarèntissimè facultatem habere fatendum est in secundo, tertio, & quarto gradibus; tam si impedimenta proveniant ex uno stipite, quam si ex diversis stipitibus; Papa enim in toto jure canonico potest validè dispensare. cap. Proposui. De Concess. Præbend. Salas de legib. disp. 20. scilicet 3. num. 16. Loterius lib. 2. quæst. 43. num. 8. ea ratione, quia qui potest Jus condere, potest in eo dispensare. cap. Inferior sedes. dist. 21. Farinacius conf. crimin. libr. 1. conf. 85. num. 88. & Diana part. 8. tractat. 3. resol. 92. Quæ est in Coordinato tom. 3. tract. 2. resol. 126.

Quo ad Ulterum; in quo queritur, Quibus penis, ac positionibus afficiantur consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes? Respondetur: Primò, prædictos incestuosos Conjuges ipso jure esse excommunicatos per Clem. 1. De Consanguin. & Affinit. nisi eos excuset bona fides, vel invincibilis ignorantia. Carol. Ant. Theaurus de Penis Eccles. part. 2. Verb. Matrimonium cap. 5. num. 1. ubi advertit, quod antequam denuncientur excom-

SUMMARIUM.

- 1 Cognationis Spiritualis definitio, ac declaratio.
- 2 An ex Sacramento Penitentis insurgat?
- 3 Circumstantia Filiationis Spiritualis an exprimentur in Confessione?
- 4 Cognatio Spiritualis impedit, ac dirimit Matrimonium.
- 5 Oritur ex Jure Ecclesiastico.
- 6 Cognatio Spiritualis afficit nunc personas quinque tantum. Et quæ?
- 7 Cognati Spirituales antiquitus plurimi.
- 8 Procurator tenens Filium alieno nomine ad Fontem an contrahat Spiritualem Cognationem?
- 9 Civitas, vel Universitas an contrahat hanc Cognationem, si ejus nomine levetur puer de Fonte?
- 10 Requisita quinque in Patris, ut contrahat Spiritualem Cognationem.
- 11 Catechumenus, & non baptizatus Patris illam non contrahit.
- 12 Patris in Confirmatione si ipse confirmatus non sit, illam non contrahit.
- 13 Designati debent esse Patris, ut Cognationem Spiritualem contrahant.
- 14 Patris, licet plures, si sint omnes designati, omnes contrahunt illam.
- 15 Patris levatus à Fonte puerum per errorem illam non contrahit.
- 16 Baptismo in privato an contrahatur Spiritualem Cognatio?
- 17 Baptizans semper illam contrahit; & num. 27.
- 18 Assistentia sola Patris non facit contrahere Cognationem.
- 19 Patris à Jure Prohibiti, si teneant ad Fontem, Cognationem non contrahunt.
- 20 Patris qui esse non possunt?
- 21 Monachi, & Regulares omnes prohibentur esse Patris.
- 22 S. Gregorius Magnus fuit Patris filii Mauriti Imperatoris.
- 23 Unus tantum Patris, vel unus, & una admittendi ad Fontem.
- 24 Parochus ex Officio potest repellere Patris indignos, & alios vocare.
- 25 Filii baptizantis, vel Patris nullam contrahunt Cognationem.
- 26 Adoptivi Parentes non contrahunt Cognationem Spiritualem cum Patris.
- 28 Cognatio Spiritualis aliquando duplicatur. Et quomodo?
- 29 Pater baptizans, vel tenens suum filium ad Baptismum peccat mortaliter.
- 30 Et amittit Jus petendi debitum.
- 31 Episcopus dispensat super Jure petendi debitum.
- 32 Excommunicati sunt Cognati Spirituales si simul Nuptias ineam.
- 33 Papa recusat dispensare, ut Patris ducat in Uxorem filiam Spiritualem.
- 34 Ordo Imperatoris panis à Deo, quia duxit in Uxorem Commatrem suam.
- 35 Mediolanensi Regij Prædicti infelix Matrimonium cum filia Spiritualis.
- 36 Patris Officium recusat, quando sit peccatum?
- 37 Diabolus intrat in Nobilem recusantem levare ad Fontem filium agricole.

excommunicati ab Episcopo, si se separaverint ab invicem, censura non est reservata, & à quocumque Confessario possunt absolvi. At sequuta denuncia-tione, non nisi ab Episcopo. Secundo, prædicti con-juges, si Matrimonium consumnaverint, sunt infames. cap. Consanguineor. 3. quæst. 4. Farinacius qu. 149. num. 139. Julius Clarus. §. Incessus. Vers. Hac autem. Tertio prædicti sunt irregulares, itaut evadant incapaces Ordinum, ac Beneficiorum. Ma-jolus de Irregular. libr. 5. cap. 39. numer. 1. Quarto eorum filii sunt illegitimi, & secundum quid infames, nisi bona fide, & cum ignorantia impedi-menti geniti fuerint. cap. Conjunctiones. 35. quæst. 3. Sanchez libr. 8. disp. 34. num. 46. Quinto prædicti carere debent spe obtinendæ dispensationis. Concil. Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 5. Sanchez libr. 7. disp. 25. num. 27. Et idè quodcumque copula car-nalis habita est inter consanguineos spe facilioris dis-pensationis, id est semper exprimentum in Suppli-catione, aliàs dispensatio est irrita, & nulla. San-chez d. lib. 8. disp. 25. num. 21. & 22. Theaurus d. cap. 5. num. 5. Et Sexto puniuntur etiam à Deo flagellis suæ Divinæ Justitiæ, quæ non sinit sine vindicta in hoc quoque mudo Nuptias incestuosas, ut ex sequentibus Exemplis.

De Heraclio Imperatore, qui propria auctoritate incestuosas Nuptias cum Nepte sua inivit, sic scri-bit Spondanus ad Annum Christi 613. numer. 1. Eo-demque Anno idem Heraclius, defuncta jam ante Uxo-re, incestuosas Nuptias contrahens, Neptem suam Mar-tinam in Matrimonium duxit, Augustamque nomina-vit, coronatam à Sergio Constantiopolitano Episcopo: sed detestandum id facinus gravi vindicta à Deo puni-tum esse, docent Zonaras, Cedrenus, atque alii, dum turpia, atque nefanda, quæ inde passus est Heraclius, referunt. Idem Spondanus de eodem Heraclio An-no 641. num. 1. hæc habet: Heraclius Augustus ubi imperasset annos 31. infelicis exitu vitam clausit, confectus ærumnis animi, corporisque molestiis; ea passus, quæ pudet referre: sed & præter alias corporis ægritu-dines, magnopere hydropis laboravit.

Sed horrenda est puni-tio, quæ ex Anpalibus E-min. Card. Baronii Anno 998. transcribit Bagatta in Admir. Orbis Christ. tom. 2. libr. 1. cap. 2. §. 2. n. 7. his verbis: Robertus Galliarum Rex, Aucus Philippi, qui in paterni Juris sceptrâ successit, propinquam sibi copulavit Uxorem, ex qua suscepit filium, anseri-tum per omnia collum, & caput habentem, quos etiam Virum, & Uxorem omnes ferè Galliarum Episco-pi, communi simul, excommunicaverunt, Sententia. Et deinde: His autem Rex coarctatus angustiis, ad sanum consilium rediens, divortium facit, inique legale con-nubium.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quid sit Cognatio Spiritualis di-rimens Matrimonium, & à quo jure procedat? Ostenditur, à quibus contrahatur perso-nis? Et in his quæ requisita sint necessaria ad eam contrahendam? Explicantur plurimi cas-us, in quibus, vel ex DD. placito, vel ex declarationibus Sacræ Congregationis contra-hitur, vel non, à Patris ipsa Cognatio? Re-feruntur pænæ, & punitiones ex Sacris Ca-nonibus, & ex Historiis contra Cognatos Spi-rituales, qui inter se contraxerant Matrimo-nium.

POst Cognationem carnalem sequitur Cognatio Spiritualis, quæ ad similitudinem præcedentis, in regeneratione, quæ fit hominis Christiani tum in Baptismo, tum quodammodo in Confirmatione, contrahitur, & habet vim dirimendi Matrimonium, si forte illud ineam personæ adinvicem Spirituali hæc Cognatio.

Cognatione conjuncta; idcirco de ea quinque sunt breviter videnda.

- 1 Quid sit?
- 2 Quo jure sit introducta?
- 3 Inter quas Personas Matrimonium dicitur?
- 4 Quae requisita sint necessaria in iisdem personis, ut inter se Cognationem Spiritualem contrahant?
- 5 Quibus penis, & punitiōibus afficiantur Cognati Spirituales invicem Nuptias in- euntes?

Quo ad primum. Cognatio Spiritualis est propin-
 quitas personarum, ex administratione, receptione,
 ac susceptione Sacramentorum Baptismi, & Con-
 firmationis, Matrimonium impediens, ac dirimens,
 si postquam ipsa sit contracta, ab iisdem Cognatis
 Spiritualibus invicem inatur, ex Statuto Ecclesie
 promulgato. Dicitur, quod est propinquitas persona-
 rum ad imitationem, ac similitudinem Cognationis
 carnalis, nam sicut per illam homo formatur, & na-
 scitur, & postea corporaliter roboratur; ita per Sa-
 cramentum Baptismi homo spiritualiter regeneratur,
 & renascitur, prout per Sacramentum Confirmationis
 roboratur in fide, & observantia Divinorum manda-
 torum; ideoque persona illa, quae concurrunt ad
 formandam hanc Spiritualem regenerationem, &
 corroborationem, incunt inter se Spiritualem quan-
 dam affectionem, ac propinquitatem, in obsequium,
 ac reverentiam praedictorum Sacramentorum, ob
 quam impediunt carnaliter se cum copulare; &
 prohibentur simul Matrimonium inire, ut demon-
 strat S. Thomas in 4. dist. 43. quest. 1. art. 2. & in
 addit. 3. p. qu. 56. art. 2. ad 1. cuius verba referunt
 Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. n. 23.
 Dicitur ex administratione, receptione, ac susceptione
 Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis: Quia ex
 his duobus Sacramentis tantum provenit haec Spiritu-
 alis Cognatio dirimens Matrimonium, ut expresse
 loquitur Bonifacius VIII. in capit. ult. de Cognat.
 Spiritual. in 6. ibi: Ex datione vero aliorum Sacra-
 mentorum, Cognatio Spiritualis nequaquam oritur quae
 Matrimonium impediat, vel dissolvat. Ex quo sequitur,
 quod licet in Sacramento Penitentiae Sacerdos
 dicatur Pater Spiritualis, ac penitentes filii, & filia,
 prout legitur in cap. Omnes. 30. qu. 1. in quo
 Symmachus Papa ita loquitur: Omnes, quas in Peni-
 tentia suscipimus, ita nostri sunt Spirituales filii,
 ut & ipsi, quos vel nobis suscipimus, vel trine
 personis vocabulo mergentibus, una Sacri Baptis-
 mi regeneratione: nihilominus haec locutio est meta-
 phorica tantum, & impropria; ex qua Cognatio Spiritu-
 alis non infurgit, ut notat Salmanticenses ad
 cap. 12. num. 25. & sequ. addentes, quod si Confes-
 sarius copulam carnalem habeat cum filia penitente,
 non committit Incestum, sed Sacrilegium ob irre-
 verentiam Sacramenti Penitentiae; in quo, vel oc-
 casione cuius sollicitat filiam Spiritualem ad turpia;
 quo in casu denunciandus est Sanctae Inquisitionis
 Officio, ut dixi in meis Eremiticis c. 76. quest. 6.
 & sequ. & cap. 126. per totum. Et si, ubi omnino
 extra confessionem sollicitatio, & turpes actus com-
 mittantur, an haec circumstantia filiationis Spiritu-
 alis sit in confessione de Sacerdote exprimens, dispu-
 taret DD. quorum alii affirmant, alii negant, ut vi-
 dere est apud Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 55. n. 3.
 & 4. Basilium Pontium lib. 7. cap. 28. num. 7. Sancium
 in selectis disput. 11. num. 3. Dianam part. 1.
 tract. 7. resol. 12. & part. 5. tract. 14. resol. 110.
 Quae nunc leguntur in Coordinati ejus Operis tom. 1.
 tract. 7. resol. 47. & resol. 49. Dicitur in definitione
 Matrimonium impediens, ac dirimens, quia hic est
 principalis effectus hujus Cognationis Spiritualis, ob
 reverentiam debitam Sacramentis Baptismi, & Con-
 firmationis, impedire scilicet Matrimonium contra-
 hendum, ne inter has personas sic spiritualiter con-

junctas contrahatur; ac si forte de facto contractum
 fuerit, sit invalidum, irritum, & nullum. Glossa
 in cap. 1. Verb. Spirituales, & in cap. Veniens. De
 Cognat. Spirit. in 6. quod multo magis procedit in
 Sponsalibus, quae inter praedictos Spirituales Cognat-
 os iniri non possunt; & casu quo antea inita forent,
 statim dissolvuntur, nec possunt abique dispensatio-
 ne Apostolica adimpleri. Layman. lib. 5. tract. 10.
 part. 4. cap. 8. num. 6. Sanchez d. lib. 7. disp. 34.
 num. 5. & Averla qu. 16. sect. 2. Vers. Habet conse-
 quenter. Tandem dicitur, Ex Statuto Ecclesie con-
 surgens; unde

Quo ad Secundum; in quo quaeritur, Quo Jure Co-
 gnatio haec Spiritualis sit introducta? respondetur,
 eam ortum non habere a Jure naturali, vel divino,
 nec ab ipsorum Sacramentorum institutione; sed ex
 iure Jure Ecclesiastico eorumdem Sacramentorum,
 ac personarum in eis intervenientium reveren-
 tiam; & quidem, ut creditur, a tempore Apostolo-
 rum; siquidem de hoc impedimento dirimente statu-
 tum fuit in primo Concilio Niceno, celebrato tem-
 pore Constantini Magni Ann. 325. ut legitur in Cano-
 ne 21. ubi ita: Nemo fidelium cum Patre, aut Matre
 Spirituali Matrimonium contrahat, id est cum Patri-
 ni, aut Matris: & qui hoc commiserit, habeat
 ut, tanquam ethnicus, quousque separetur, &
 spatio viginti annorum penitentiam sui peccati agant.
 Decem annis oblineat a Communione fidelium: alie-
 ris decem licebit intrare in Ecclesiam ad audientiam
 tantum Scripturas. Quando autem impletum fuerit
 hoc tempus penitentie viginti annorum, licebit intra-
 re in Ecclesiam, & sumere Sacram Communionem.
 Observetur rigor Ecclesiasticae disciplinae contra pra-
 varicatores Sacrorum Canonum in primis illis Eccle-
 siae Saeculis; & excommunicationem latam in Co-
 gnatos Spirituales simul adinvicem nubentes. Fuit
 autem hoc impedimentum successivis temporibus in
 variis Conciliis, ac Summorum Pontificum Decre-
 tis confirmatum, quae referuntur de Saeculo in Saeculum
 per Emin. Card. de Laurea disp. 28. num. 146.
 ac habentur 30. qu. 1. per totam; & in Decretali-
 to titulo De Cognatione Spiritualis; atque eod. tit. in
 6. ubi plures dispositiones Canonicae; & in personis
 circa hanc Cognationem Spiritualem; & personas
 illam attingentes usque ad tempus Concilii Triden-
 tini, in quo tandem restricta fuit ad quinque perso-
 nas tantum ex motivis expressis sess. 24. de Refor.
 Matrim. cap. 2. his verbis: Docet experientia, pro-
 pter multitudinem prohibitionum, multoties in casu-
 bus prohibitis ignorantia contrahi Matrimonia, in qui-
 bus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea
 non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque
 Sancta Synodus huic incommodo providere, & in Co-
 gnationis Spiritualis impedimento incipiens, statuit,
 ut unus tantum sit Vir, sive Mulier, iuxta Sacro-
 rum Canonum instituta, vel ad summum unus, &
 una baptizatum de Baptismo suscipiens, inter quos,
 ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem,
 nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptiza-
 tique Patrem, ac Matrem tantum Spiritualis Cognatio
 contrahatur, Et paulo infra: Ea quoque Cognatio,
 quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmationem, &
 Confirmationem, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenen-
 tem non egrediatur; omnibus inter alias personas hu-
 jus Spiritualis Cognationis impedimenti omnino subla-
 ti. Et quia statim post Concilium Tridentinum su-
 per intelligentia praedicti Decreti plura oriebantur
 dubia, ad ea omnia tollenda emanavit peculiaris
 Constitutio B. Pii V. Incipien. Cum illius vicem.
 Anno 1566. 4. Col. Decembr. in qua declaravit, pra-
 dictum Cognationis Spiritualis impedimentum non
 afficere, nisi illas personas in eisdem Concilii Tri-
 dentini Decreto nominatas. Idcirco

Quo ad Tertium; in quo inquiritur, Inter quas
 personas Cognatio Spiritualis Matrimonium dirimat?
 respon-

respondetur, quod olim de jure antiquo hoc impedi-
 mentum extendebatur in pluribus personis, & praeci-
 7 pue in filiis Patris, nec non baptizantis, ac
 fratribus ipsius baptizati; ita ut darentur quatuor spe-
 cies hujus Cognationis, quae dicebantur Paternitas,
 Compaternitas, Fraternalitas, & Affinitas Spiritua-
 lis, ut scribit Reginaldus lib. 31. sub num. 148. sed
 hodie ex antelato Decreto Concilii Tridentini
 non afficit, nisi Baptizantem, ac Baptizatum; Pa-
 trem, Matremque ipsius, atque suscipientem, id est
 Patrum, qui debet esse Unus tantum, vel ad
 summum Unus, & Una; & idem est statutum circa
 Sacramentum Confirmationis, ut notant omnes
 Theologi, ac Canonistae; de hoc impedimento
 pertractantes; inter quos Tamburin. de Impedim.
 Matrim. lib. 8. cap. 5. §. 2. Sanchez de Matrim. d.
 lib. 7. disp. 54. Basilium Pontium lib. 7. disp. 37. Aver-
 8 fa quae. 16. sect. 2. Matris d. disput. 7. num. 464.
 Emin. Cardin. de Laurea de Matrim. disp. 28.
 per totam; & Salmanticenses d. tractat. 9. cap. 12.
 punct. 2.

Fuit autem olim insignis quaestio inter Doctores;
 casu quo aliquis suscipiat puerum in Baptismo, vel in
 Confirmatione non per se ipsum personaliter, sed per
 8 Procuratorem, Utrum Cognatio Spiritualis afficeret
 ipsum Procuratorem, vel ipsum Mandantem; Tres
 erant opiniones; Una, quod nullum afficeret, non
 principalem Mandantem, quia non tangebatur puerum
 in Baptismo, vel Confirmatione; non Procura-
 torem, quia nomine proprio puerum non suscipiebat.
 Sanchez d. lib. 7. disp. 59. num. 4. ubi DD. ita opi-
 nantes cumulat. Altera, quod afficeretur Cognatio-
 nem haec ipse Procurator ob physicum tactum, & per-
 sonalem susceptionem pueri in Sacramento. Tertia,
 quod ipse Principalis mandans remaneret Spirituales
 Cognatus, quia qui per alium facit, per seipsum
 facere videtur, ut late dicitur Basilium Pontium d.
 lib. 7. cap. 39. num. 10. & Justus de Dispen. Ma-
 trim. lib. 2. c. 5. num. 33. ubi alios allegat; & ita
 secundum hanc tertiam opinionem est tenendum,
 quia sic declaravit Sacra Concilii Congregatio in una
 Veronen. 29. Martii 1582. & iterum 15. Martii 1631.
 ut testatur Nicolaus in Lucebrat. Civilib. lib. 1. tit. 10.
 Impedim. 4. Vers. An vero. Et ego dixi in meis Ero-
 9 matas. cap. 115. num. 63. & cap. 133. num. 34. ubi
 Studiosum legere non pigeat.

Sed quid Juris, si aliqua Civitas, vel Universitas
 constituit Procuratorem, ut nomine ipsius Civita-
 tis, vel Universitatis puerum in Baptismo, vel in
 9 Confirmatione suscipiat? Respondetur, quod ipsa Ci-
 vitas, seu Universitas est hujusmodi Cognationis ex-
 pers, tanquam Persona ficta, & incerta: an vero
 finguli de Civitate, vel Universitate fiant Cognati
 Spirituales? alii asserunt, alii negant, & pro ne-
 gantibus stat Sanchez d. lib. 7. disput. 59. num. 7.
 ubi alios congerit; quibus addendus est Merolla tom. 3.
 disp. 6. cap. 3. dub. 11. num. 154. & Donatus Ant.
 de Marinis Resol. Quorid. lib. 1. cap. 96. num. 4.

Quo ad Quartum, in quo petitur, Quae requisita
 sint necessaria in Patris, seu personis suscipientibus
 puerum, vel puellam in Baptismo, seu Confirmatione,
 ut praedictam Cognationem Spiritualem contrahant?
 10 Respondetur quinque esse requisita necessaria in Pa-
 trino, ut contrahat Spiritualem Cognationem. Pri-
 mum est, ut si suscipiat in Baptismo, ipse sit ba-
 ptizatus, si vero in Confirmatione, sit confirmatus;
 & ideo si infidelis baptizaret, vel susciperet filium
 in Baptismo, non contraheret hanc Cognationem
 Spiritualem, quia non est subiectus Ecclesiae; ex
 cuius lege, ac praepoito emanat, ut omnes DD.
 communiter tenent. Sanchez d. lib. 7. disput. 60.
 num. 7. Pontius d. lib. 7. cap. 40. num. 2. Layman d.
 lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. num. 2. & Barbofa de
 Offic. & pot. Episc. allegat. 3. num. 34. & hoc pro-
 11 cedit, etiam si Patris effectus Catechumenus, quia

adhuc est extra Ecclesiam, nec ipsius canonibus obli-
 gatus. Sanchez ibid. num. 9. Basilium Pontium lib. 7.
 cap. 40. num. 4. Mastrius d. disput. 7. num. 465. &
 Emin. Card. de Laurea d. disput. 28. art. 5. §. 2. a. num. 98.
 & sequ. ubi tenet, & DD. allegat. Quo vero ad Sa-
 cramentum Confirmationis, si Patris non sit ba-
 ptizatus, cum nullam contraheret Cognationem Spi-
 ritualem probat variis argumentis doctissimus Pigna-
 tellus Jurisconsultus Romanus hujus aevi tom. 1. Con-
 sult. 10. ubi num. 3. testatur, sic esse decisum a Sa-
 cra Congregatione in Una Licen. 13. Junii 1654.
 unde cessant rationes Doctorem, qui asserbant
 contrarium, quos citat Tamburin. de Baptismo lib. 2.
 cap. 4. §. 2. num. 4. Secundum requisitum est, ut ipsi
 Patris sint designti vel ad parentibus pueri, vel eis
 deficientibus per illos, ad quos spectat, iuxta De-
 cretum Concilii Tridentini in cit. sess. 24. de Reform.
 Matrim. cap. 2. cuius haec sunt verba: Parochus an-
 tequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter
 ab illis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem,
 vel quas elegerint, ut baptizatum de Sacro fonte
 suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum susci-
 piendum admittat, & in libro eorum nomina descri-
 bat; doceatque eos quam Cognationem contraxerint,
 ne ignorantia illa necessarii valeant. Quod si alii,
 ultra designatos, baptizatum petierint, Cognationem
 Spiritualem nullo pacto contrahant; Confirmationem
 in contrarium facientibus, non obstantibus. Quo
 Concilii attentio Decreto, omnes DD. concorditer
 docent, designationem praedictam esse prorsus ne-
 cessariam ad hoc, ut Patris suscipiens puerum de
 Baptismo, vel in Confirmatione contrahat Spiritu-
 aliam Cognationem; Sanchez d. lib. 7. disp. 57.
 num. 8. & num. 12. Gutierrez de Matrim. cap. 100.
 num. 7. Mastrius d. disput. 7. num. 467. Salmanticenses
 d. cap. 12. numer. 30. & Emin. Card. de Laurea d.
 disput. 28. num. 124. qui omnes constant tenent,
 & quamvis Concilium Tridentinum ordinat, ut
 unus tantum, vel unus, & una ad summum desi-
 gnentur pro levando pueri de Fonte Baptismali; ni-
 hilominus, si praeter hunc numerum alii designen-
 tur, & omnes tangant puerum, dum aqua Baptismi
 abluatur, omnes contrahunt Cognationem, ut decla-
 14 ravit S. Congregatio, teste ejus Secretario Fagnano
 in cap. Ex litteris num. 5. De Cognat. Spirit. tom. 6.
 pag. 70. necnon Layman d. lib. 5. tract. 2. cap. 9.
 num. 4. & fuit a me didum in Decisionibus de Ba-
 ptismo Decif. 37. num. 5. & 6. ubi Caramel, Go-
 batus, ac Barbofa idem advertunt. Ex hac doctrina
 resolvitur curiosus ille casus; si quis per errorem le-
 vabit de Fonte filium Pauli, credens esse filium Pe-
 15 tri, a quo fuerat rogatus, & designatus; ac si militer
 si cum eodem errore alius Patris leveat de Fonte fi-
 lium Petri, credens esse filium Pauli; Utrique in hoc
 casu neuter contrahit Cognationem, tum quia in pa-
 rentibus pueri suscepti non fuerunt designati; tum
 etiam quia nullus debet ferri Cognatus cum personis
 illis, de quibus non cogitavit, Franc. de Lugo De
 Sacram. Baptismi cap. 7. num. 6. Cotonius lib. 2.
 contrav. 2. num. 94. Sanchez lib. 7. disp. 58. num. 7.
 & Justus lib. 2. cap. 5. num. 56.

Tertium requisitum, ad hanc Cognationem Spi-
 ritualem contrahendam, est, ut Patris suscipiat
 puerum in baptismo solemniter in Ecclesia admini-
 strato; unde si puer domi baptizaret private in
 16 casu necessitatis, ob periculum mortis, & aliquis
 tunc eum susciperet, nullam contraheret Cognatio-
 nem; multo minus si illum teneret, dum supplerent
 caeremonia in Ecclesia. Sanch. d. lib. 7. disp. 62.
 num. 14. Averfa qu. 10. sect. 3. Vers. sed tamen. Ba-
 silium Pontius de Matrim. lib. 6. cap. 11. n. 1. &
 de lib. 7. cap. 40. num. 5. Diana part. 3. tract. 4. re-
 sol. 18. nec non part. 4. tractat. 3. resol. 7. ac etiam
 part. 10. tract. 16. resol. 30. Quae omnes nunc resi-

dent in Coordinato eius opere tom. 1. trañ. 1. resol. 96.
 17 97. & 98. in quibus tamen advertit, quod baptizans semper contrahit Cognationem, sive solemniter, sive privatè detur Baptismus. Quod si puer baptizatus fit domi in casu necessitatis, & esset dubium circa bene prolata Verba Baptismi, iterumque baptizaretur sub conditione in Ecclesia; tunc suscipiens contraheret Spiritualem Cognationem. Sanchez d. libr. 7. disp. 62. num. 6. Bonacina quæst. 2. de Matrimon. p. 1. s. 2. num. 10. Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 42. & Salmanticenses dicit. trañat. 9. de Matrim. cap. 12. num. 32.
 Quartum requisitum est, quod Patris puerum teneant, quando Aqua Baptismi ei infunditur, vel unguentum Chrismate Sacro, vel ex Fonte levant, si per immersionem detur Baptismus, statim ac baptizatus est, ut habetur in cap. Omnes. 23. quæst. 1. & propterea sola assistentia Patris non sufficit, sed debet puerum vel tenere, vel tactu physico tangere, dum aqua Baptismi infunditur; quod servant Parochi in hac Diocesi Patavina; ubi enim puer tenetur à femina in Catechismo, & à Viro ad Fontem, cum ablendas est puer, vocatur femina Matrina à Parocho, & iubetur manum ponere super humeros pueri, vel puellæ, quæ baptizatur; ut sic contrahat & ipsa Matrina Cognationem; aliàs per tenentem ad Januam Ecclesiæ, vel per solam præsentiam ad Fontem; illam non contraheret. Sanchez d. libr. 7. disp. 56. Bonacina d. quæst. 3. p. 5. s. 2. num. 15. Salmanticenses d. cap. 12. num. 21. qui addunt, hos Patris habere debere intentionem verè fungi Patris officio, vel saltem, quod intendant facere id, quod præcipit Ecclesia. Sanchez lib. 7. disp. 58. & Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 42. & 55.
 Quintum requisitum est ad contrahendam Spiritualem Cognationem, ne Patris ab hoc officio sint de Jure prohibiti; si enim prohibeantur, & de facto puerum suscipiant, peccant mortaliter, & nullam contrahunt cognationem. Sunt autem de Jure prohibiti, Primò muti, ac infantes, non habentes usum rationis. cap. Periculi. 79. de Consecr. dist. 4. Quod si ratione polleant, etsi minores sint, ætate quam baptizandus, vel confirmandus, nihil impedit, quin cum suscipiant, atque cognationem contrahant. cap. Vos ante omnia. ead. de Consecr. dist. 4. Eovin. Card. de Lauræa d. disp. 28. num. 114. Secundò Hæretici, Excommunicati, ac Publici penitentes. Basilii Pontius lib. 6. cap. 37. n. 5. idem Emin. Card. de Lauræa ibid. num. 110. & 111. Tertiò Monachi, Sanctimonialia, ac Regulares Mendicantes quicumque per sex. in cap. 102. & cap. 104. de Consecr. dist. 4. necnon in cap. Placuit. 16. quæst. 1. & in cap. Pervenit ad nos. 18. quæst. 2. Barbosa in collect. ad Concil. Trid. dicit. sess. 24. cap. 12. de Res. Matrim. n. 12. ubi DD. cumulat. Et Emin. Card. de Lauræa ead. disp. 28. n. 105. & seqq. Excipiuntur tamen Regulares ad dignitatem Episcopalem, vel Cardinalitiam promoti; hi enim non sunt amplius prohibiti fungi hoc Patris officio. Barbosa ubi sup. numer. 12. & Sanchez in Precept. Decalogi libr. 6. cap. 6. num. 24. qui referunt exemplum S. Gregorii Magni, à quo non fuit recusatam hoc officium Patris postquam de Religione evedus fuit ad Cardinalatum, tunc enim benigne consentit fieri Compariter Mauriti Imperatoris, eius filium è fonte suscipiens.
 His requisitis, ut supra firmatis, faciunt DD. ex eis infrascriptis illationes, à studiis notandas, ac menti tenendas, 1. Quod non est admittendus ad officium Patris, nisi unus tantum; vel unus, & una ad summum ex Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 2. quod ita Patavi interpretatum est à consuetudine, ac etiam Venetiis, ut prædictus numerus non augeatur ad susceptionem è Fonte; sed ad Januam Ecclesiæ, seu ad Catechismum, in quo impudè numerus

ipse multiplicatur, quia ex Catechismo non contrahitur Cognatio Spirituales. 2. Nihil referret, quod Patris Vir suscipiat puellam feminam, vel femina teneat ad fontem puerum masculum. 3. Quod Patris designatus à Parentibus potest tenere puerum vel per se immediate, vel per Procuratorem, aut nuncium suum. 4. Licet olim qui fuerat Patris in Baptismo, non possit suscipere eundem filium in Confirmatione. cap. 100. de Consecr. dist. 4. hodie tamen id non servatur ex præcepto, sed tantum ex quadam Episcoporum prudentiali sollicitudine, ut magis consulat utilitati spirituales filiorum. 5. Quod Parentibus non designantibus Patris, vel eos ex genere prohibitorum proponentibus, potest Parochus ex officio eos repellere, & alios ad arbitrium suum eligere, qui puerum suscipiant, & sic suscipientes cognationem spirituales contrahant, ut ostendit Beia in Decif. Casuum par. 2. Cap. 4. 6. Maritus, & Uxor si simul eandem puellam in Baptismo suscipiant inter se cognationem spirituales non contrahunt, attamen ex tali quali reverentia, debita Sacramento, simul ad suscipiendam non sunt admittendi. 7. Filii baptizantur, vel Patris non contrahunt Cognationem spirituales cum ipso baptizato, vel ejus genitoribus; nec etiam Maritus cum puella, quam ejus Uxor suscepit vel in Baptismo, vel in Confirmatione; nec vice versa Uxor cum puero, quem Maritus suscepit. Gobatus trañ. 9. num. 177. Veri. Eva peccavit. 8. Parentes adoptivi non contrahunt Cognationem cum Patris suscipientibus eorum filios adoptivos; nam contrahitur in susceptione filiorum naturalium tantum, etsi illegitimorum. Sanchez lib. 7. disp. 54. num. 16. Reginaldus lib. 31. num. 10. Barbosa alleg. 30. num. 54. 9. Ille, qui puerum deserit baptizandum ad Ecclesiam, nullam contrahit Cognationem, prout declarasse S. Congregationem, testatur Barbosa ad dist. cap. 2. Concil. Trid. sess. 24. num. 37. 10. Ille, qui baptizat, (ut dicitur est supra n. 17.) semper contrahit Cognationem spirituales cum baptizato, & parentibus ejus fidelibus, sive sit Clericus, sive sit Laicus, sive Vir, sive Femina, sive baptizet solemniter, sive privatè; quia jura de eadem cognatione loquentia nullum baptizantem excipiunt. Navarrus in Man. cap. 32. num. 40. Veri. Interrogatur. Sanchez lib. 7. disp. 57. num. 10. Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 40. ubi alii; advertens sub n. 43. quod sicut cognatio carnalis ex multiplici gradu augetur, ita hæc spirituales; quia si alter alterius prolem invenit suscipiant, vel in diversis Sacramentis, nempe Baptismi, & Confirmationis eundem, vel alterum ejusdem personæ filium, quis suscipiat, duplicabitur cognatio; quæ duplicitas, casu quo petatur dispensatio Apostolica pro contrahendo Matrimonio, erit exprimenda. At non duplicatur cognatio, si ejusdem Patris plures filios quis suscipiat in Baptismo tantum, vel in Confirmatione tantum; ad exemplum consanguinitatis, quæ non duplicatur ex copula repetita pluries cum eadem persona, ut tradunt Garzias de Benef. par. 8. cap. 3. numer. 78. & Pyrrhus Corradus de Dispensat. apostol. libr. 8. cap. 8. num. 16. Omnes supradictas illationes congerit Jusus in d. lib. 2. cap. 5. n. 14. & seqq. ubi Theologos, ac Canonistas de illis differentes plurimos allegat; quibus se conformant Maurus d. disp. 28. art. 6. atque Salmanticenses d. trañ. 9. cap. 12. punct. 2. in occurrence videntur.
 Quò ad Quintum; in quo inquiritur, Quibus personis, ac conditionibus assiciantur Cognatio spirituales, invicem Nuptias inveniunt? Respondetur: Primò, quod si Cognatio spirituales superveniat post contractum Matrimonium inter Maritum, & Uxorem, quia alteruter teneat ad Fontem proprium filium, vel cum absque necessitate baptizet; in hoc

casu Parens hæc faciens peccat mortaliter, & idem est, si suscipiat illum in Confirmatione. Theaurus de Pavis Eccl. par. 2. Verb. Baptismus cap. 4. in princ. Secundo prædictus Parens amittit jus petendi debitum. c. 2. de Cognat. Spirit. Theaurus d. cap. 4. Veri. Item si; ubi tamen ait, excusari si per ignorantiam, & non ex malitia id fecisset, & multo magis si baptizasset proprium filium in periculo mortis ejusdem filii, in quo nullus alius esset, qui illum baptizaret. Sanchez libr. 9. disp. 26. num. 7. & 9. In casu tamen amissionis Juris petendi debiti, potest Episcopus super hoc dispensare, ut non obstantem Cognationem spirituales inita in supradicta malitiosa, vel susceptione, vel collatione baptismi, conjux possit petere debitum ab alio suo conjuge. Barbosa allegat. 35. num. 8. & Sanchez lib. 8. disp. 12. n. 15. Tertiò si post contractum Cognationem spirituales baptizans, vel Patris de facto contraheret Matrimonium, vel cum filia baptizata, vel cum ejus Matre; aut Pater baptizatus cum Matrina, quæ eundem filium levaverat; hi omnes incurrunt excommunicationem tum vigore antiquorum Canonum, ut dicitur est sup. num. 5. tum ex Clem. 1. de Consanguin. & Affinitate, quia sub nomine Consanguinitatis, & Affinitatis naturalis venit etiam Cognatio spirituales, & Legalis, & in his omnibus cognationibus committitur incestus, ac nuptiæ inter eosdem cognatos spirituales, atque legales sunt incestuosæ. Matrus in Theol. Moral. disp. 11. num. 122. & seqq. Scio contrarium opinari Basilium Pontium libr. 7. cap. 41. in fin. & Jusus d. libr. 2. cap. 6. num. 38. ea ratione quia pœna veti restringendæ, sed ego non acquiesco; quia frustra esset inductum ab Ecclesia hoc impedimentum, nisi huic pœnæ subjaceret. Quarto prædicti inter se nubentes incurrunt pœnam infamiam. cap. Consanguineorum. 3. quæst. 4. cap. Injames. 6. quæst. 1. Quintò si nascatur filii, sunt Spiritus, & illegitimi. cap. 1. 35. quæst. 7. Sextò si petatur dispensatio à Summo Pontifice super hoc impedimento Cognationis spirituales, etsi non sit difficile eam obtinere ob justam causam inter Comparentem, & Commatrem. Jusus d. lib. 2. cap. 5. n. 72. tamen inter Patrem, & Filiam spirituales, vel inter Matrem spirituales, & Filium ab ea è Fonte susceptum dispensatio omnino denegatur, ob maximam irreverentiam Sacramenti, ut ait Sanchez lib. 8. disp. 24. num. 15. testans, se nunquam audisse, aut legisse, quod fuerit super Paternitate Cognationis spirituales dispensatum; idemque scribit Majorius de Irregularitat. cap. 39. num. 3. & Donatus Antonius de Marinis Resol. Quotid. lib. 1. cap. 96. n. 18. Septimò tandem prædicti incestuosas nuptias inire attentantes à Deo graviter puniuntur, ut ex S. Petro Damiano in Trañ. de Mirab. narrat Surius tom. 7. & ex eo Bagatta tom. 2. lib. 6. cap. 1. s. 2. n. 20. his præcisibus verbis:
 Otho rex Teutonicorum, qui postmodum Imperator creatus est Romanorum, Adelaidem Italie Reginam, quæ sibi Commater extiterat, suscepit in Conjugem. Illum filius eius Almisicus, qui Moguntinæ præsidebat Pastor Ecclesiæ, cepit constanter arguere, & sequestum, luridumque conjugium publice condemnare. Licetque ab eodem multa passus, in carceremque conjecit, Patrem non respicientem excommunicationis gladio ab Ecclesia separavit. Cumque nec ob hoc ab incertis recederet, cum sic affatus est: Tu arbitraris, Pater, me adversum te insolenter agere, te verò præjudicium sustinere; citò profanos, quia die Sancto Pentecostes uterque simul abstinens ante Deum; ibique ventilabitur inter Nos libra ante iustitiam lance litigium. Factumque est ipso, qui dicitur est, Sacrosanctæ solemnitate die, ut dum Augustus Imperialibus insulis redimitus, multorumque Pontificum choris, sive Procera val-latus agminibus, Missarum solemnissis interesset, re-

pentino super eum veniente judicio, repertus sit mortuus. Episcopus verò in Domino jam quiesce-rat. Hucusque Bagata.
 Huic punitioni consonat, & sequens infelicissimi exitus Matrimonii initi inter Patrem, ac Filiam spirituales ex Baptismo (etsi prævia Apostolica dispensatione) quem narrat Basilii Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 17. s. 2. n. 28. dicens: Cognovi, quòd Gregorius XIV. dispensavit cum Patre, & Filia spi-rituali; Pater erat nobilissimus Hispanus, & apud Mediolanenses Regius Præses, Filia nomine Ersilia; quorum injustas Nuptias, infaustamque Prolem, vita brevi, forsan veneno extindam, Mediolanenses viderunt. En quanta religione Cognatio spirituales est servanda. Tandem
 Corollarii loco notandum; quòd negare officium susceptoris, vel susceptricis in Baptismo, vel in Confirmatione, non continet per se, seu ratione objecti ullam culpam. Gobatus trañ. 2. de Baptis. num. 586. 36 ubi reddit rationem dicens, quia ubi Præceptum non est, ibi nec prævaricatio. Rom. 4. Atqui nulla lex divina, vel humana præcipit, ut quis rogatus in Patrum acquiescat petitioni; peccaret tamen si ex fastu, aut superbia, aliove pravo motivo repelleret rogantem. In cujus dicti confirmationem narrat, personam nobili genere natam, quæ renuit tenere ad Fontem prolem pauperis agricolæ, paulò post obfessam fuisse à diabolo; qui à Sacerdote exorcismis compulsus abire, & manifestare causam, cur in corpus illud fuerit ingressus? respondit, eò quòd persona illa repudiasset preces rusticæ deposcentis ab ipsa pro filio suo baptizando officium Patris; utique ex fastu, & superbia ob paupertatem supplicans.
 DECISIO XXIV.
 ARGUMENTUM.
 Ad intelligentiam Cognationis Legalis, quæ est Impedimentum dirimens Matrimonium, proveniens ex Adoptione, traditur plena, ac perfecta explicatio ipsius Adoptionis. Hæc dividitur in Divinam, & Humanam. Humana subdividitur in perfectam, & in imperfectam; idest in Arrogationem, ac simplicem Adoptionem, atque definitio, differentiarum, & effectus ponuntur utriusque. Historicis, ac Exemplis probatur, Adoptionem esse inventam de Jure Gentium, instauratam de Jure Civili, & approbatam de Jure Canonico pro Impedimento Matrimonium dirimente. Declarantur tres Lineæ, seu species ejusdem Cognationis Legalis, ac quomodo, & quando eadem dirimat Matrimonium? Tandem An Papa dispense in illa?
 SUMMARIUM.
 1 Cognatio Legalis unde sit dicitur?
 2 Adoptio vel Divina, vel Humana. Quid sit Divina?
 3 Abba hebraicè idem est, ac Pater Latinè.
 4 Justificatio peccatoris quot bona ei tribuitur?
 5 Adoptio Divina quid homini largiatur?
 6 Adoptionis humane definitio.
 7 Adoptari nemo potest in Fratrem, vel Patrem. Et cur?
 8 Adoptio duplex, alia perfecta, alia imperfecta.
 9 Arrogationis, ac Adoptionis differentie septem.
 10 Arrogatio in tribus convenit cum Adoptione. Et que?
 11 Adoptio à quo Jure procedat?